

beneficium ita complectitur, vt cum redieris
 sis aliquando sensurus. Editionum tuarum
 si aliquam D. Abbati Hæcmondensi patrono
 meo dicaueris, scio gratissimum illi futurum,
 & beneficium haud illiberaliter pensaturum.
 Quod vt facias, te etiam atque etiam oro.
 Hollandus est, & Hollandiæ nostræ primas
 religionis, vir doctus quidem, sed religio-
 sior tamen, quam doctior, tametsi omnes
 doctos non mediocriter amet, vt qui sibi,
 si vsu veniat, multis in rebus possit esse au-
 xilio. Nomen eius est Menardus Vir.
 Vale doctissime, mihi que multo charissime
 Erasme.

EPIST. XXXIX. S. Galii.

Sebastian. Mynsterus Ioachim. Vadiano

S. D.

Volueram tibi mittere, clarissime vir, v- *Ptolemæi*
 nam ex tabulis Helueticis, quas curavi *Cosmo-*
 hic imprimere nisi Froschotterus me monuif- *grapha.*
 set tibi vnam ex Tiguro misisse. Cum itaque
 is imprimendi modus nobis mediocriter suc-
 cessisset, & artem aliquam apprehenderimus
 fundendarum integrarum dictionum, deli-
 berauimus ego, Henricus Petri, & Michael I-
 sengrinius hoc pacto excudere Cosmogra-
 phiam Claudii Ptolomæi, non quidem in
 tanta forma vt hætenus à multis fuit impres-
 sa, sed in ea forma in qua annotationes tuæ in

L 3

Me-